12301.c.45
1

AD

GULIELMUM

CUMBRIÆ Ducem.

AD

GULIELMUM

EPISTOLA

GRATULABUNDA

AD

GULIELMUM

CUMBRIÆ Ducem.

K. William Augustus,
Duke of Cumberland

Res gerere & captos oſtendere Civibus Hoſtes,
Attingit Solium Jovis, & Cæleſtia tentat.

HORAT.

EDINBURGI,

Typis RICHARDI WATKINS Typographi Regii, & proſtant venales apud ALEXANDRUM KINCAID Bibliopolam.

M.DCC.XLVI.

BRITISH MUSEUM

EPISTOLA GRATULABUNDA AD *GULIELMUM* CUMBRIÆ DUCEM.

NI læti, Tibi uni, Princeps Illuſtriſſime, Salutem noſtram acceptam referremus, omnium, qui unquam in terra fuerunt, hominum, maxime eſſemus ingrati. Poſt ANGLIAM, cæteris vix conantibus, a Te liberatam, ob jucundam in malis & gratam in dolore Tuam erga nos etiam voluntatem, cum gratia tanta, quanta debetur, referri non poteſt, habenda tanta eſt, quantam maximam animi noſtri capere poſſunt. Jam inde ab infauſto illo tempore quo exarſit hæc impia Conjuratio, votis ardentiſſimis præſentiam Tuam huc expectavimus. Famam expectatio noſtra, expectationem adventus Tuus, admiratioque ſuperavit.

TE

Te jam quem præſentem intuemur, cujus mentem ſenſuſque nos cernimus, qui ſub fauſtis Patris Tui noſtrique auſpiciis hoſtes noſtros domeſticos tam feliciter deviciſti, qui hanc Rempublicam ad priſtinum ſplendorem reſtituiſti, quibus laudibus efferemus, quibus ſtudiis proſequemur, quâ benevolentiâ complectemur? A vi gladiatoria & Barbarorum incurſionibus nos liberaſti. Rempublicam vitamque omnium noſtrum, bona, fortunas, conjuges, liberoſque, favente Deo Optimo Maximo, laboribus, conſiliis, periculiſque Tuis ex flamma atque ferro, ac pene ex faucibus Fati eripuiſti & nobis conſervaſti. Multis bene geſtâ republicâ laudes decretæ, Tibi uni conſervatâ republicâ debitæ ſunt. Ad pacem noſtram firmandam, vitam Tuam pretioſam, nullis conditionibus à periculo detinendus, expoſuiſti. Terra hæcce, quam tamdiu infeſtarunt Barbari, etſi Tibi incognita, citius cujuſquam paſſibus non potuit peragrari quam Tuis (non dicam curſibus, ſed) Victoriis illuſtrata ſit.

Te ſalvum eſſe & laureâ donandum, alterâ manu Victoriam, alterâ Libertatem reportantem, nos ſalvos & liberos gaudere decet: quippe vita Tua ſervata non tantum valet ad noſtram, ſed totius Europæ libertatem ſtabiliendam & confirmandam.

dam. Tibi uni, Fortunate Adoleſcens, quem deſiderabant liberi, quem metuebant ſervi, quem ſolum Ducem proclamabant milites, quem horrebant impii conjuratores, debetur Salus noſtra. Tibi uni habenda eſt gratia. Totum hoc, quantumcunque eſt, quod certe maximum eſt, totum eſt inquam Tuum: audendo atque agendo maxima feciſti, inter maximos Maxime, inter principes Princeps.

Cum cogitemus quantis laboribus fundatum imperium, quantâ virtute ſtabilitam libertatem, quantâ Dei Optimi Maximi benignitate auctas exaggerataſque fortunas, una hæc impia manus pene delêrit, mirum non eſt ſi ob ſucceſſum Tuum etiam ultra modum gaudio efferamur. Quæ pro nobis feciſti, mentibus noſtris nunquam excident. Liberationis noſtræ nunquam nos capiet oblivio. Memoriâ noſtrâ, Adoleſcens Egregie, res Tuæ alentur, ſermonibus creſcent, literarum monumentis inveteraſcent & corroborabuntur; Dux enim noſter rarâ animi facultate inſignis, noſtri memor ſui obliviſcitur.

Fortitudinem Tuam, famâ tantum nobis antea cognitam, palam demonſtraſti. Effeciſti ut ea, quæ jam geſſeris, virtute non caſu geſta eſſe videantur. Si Adoleſcenti tanta ineſt

virtus,

virtus, tantus animus, tantum ſupra annos conſilium, quid non ab ætate provectiori expectandum? Non eadem Tibi, Princeps, dolendi cauſa eſt, ut olim Julio Cæſari, quod nihildum præclari egeris, eam ætatem adeptus, quâ Alexander multa regna vincendo peragraverat: hunc infelicem agebat impia cupiditas aliena devaſtandi; Te feliciorem animat gloria Prædones expellendi & Tua noſtraque ſervandi. Felix, prole Tuâ, Pater! Felicior futuræ ejus gloriæ proſpectu BRITANNIA! Amant Te omnes, ne dicam milites qui ad ultimam THULEN uſque Tecum ire haud dubitarent. Habes amicos, quia amicus ipſe es; diligis ergo, & diligeris: atque in eo haud parva Tua gloria eſt, qui ſuperior natus, deſcendis in omnia familiaritatis officia, & in amicum ex imperatore ſubmitteris.

IN bello hoc plus quam civili, omnia hoſtibus contigerunt commoda: milites abfuerunt, abfuit Dux CUMBRIÆ, & quibus tum commiſſum erat cavere ne reſpublica quid detrimenti caperet, improvidâ negligentiâ & continua errorum ſerie hoſtium fortunas eò uſque adauxerunt, ut Te Domitore opus eſſet. Eò certe nata eſt hæc impia conjuratio, ut concordia & unanimitas BRITANNIÆ reſtitueretur, ut a Te ſedaretur: eò COPPIUS, cum parva militum noſtrorum

ſtrorum manu, ab iſtis ſuperatus, ut reipublicæ inſidiatores apertius patefierent, ut id quod latebat erumperet: eò Aliis etſi altiora meditantibus, nocte omnia periculoſa ſuſpectaque etiam victoribus faciente, Fortuna plenam invidit victoriam, ut Te accedente, hoſtes decederent, ut Tuo adventu Nubes illa, quæ tamdiu ſedere in jugis montium ſolita ſit, diſſiparetur, ut denique gloria Tua cumularetur.

Post patriam direptam vaſtatamque, nimis diu lateque victrices iſtorum catervæ, à Te tandem fugatæ, locorum iniquitate ſuiſque artibus confiſæ, ad agrum Cullodenensem clade ſuâ nobilitandum, urgente fato, profectæ ſunt, quò Tu fortiter & ſtrenuè eos ſecutus, honorem militum reparaſti, libertatem nobis confirmaſti, & gloriam nunquam interituram Tibi peperiſti.

Hac præclarâ victoriâ hoſtes noſtri, conſiliis Juvenis Egregii repreſſi, ſenſere, Quid poſſet mens, quid indoles ſub fauſtis Augusti penetralibus ritè nutrita; quid, ſub Duce perito, poſſent milites bene inſtituti & arte militari eruditi, in turbam inordinatam & incompoſitam, etſi gladiis ſuis celebratis armatam.

Hic quicunque ſalvam vult rempublicam, vobis, Milites, qui viriliter feciſtis, mecum congratuletur. Nunquam vos pœnitebit talem ſequi Ducem, qui viam non magis ad gloriam quam ad ſalutem ferentem vobis demonſtrare, qui omnium periculorum Particeps, ſtrenui Militis & boni Imperatoris officia ſimul exequi poteſt. O præclarum liberationis noſtræ diem, meliore lapillo numerandum!

O, qua ſol habitabiles
Illuſtrat oras, maxime Principum,
Quem legis expertes Latinæ
Vindelici didicere nuper
Quid Marte poſſes!

Non tantum Tibi, Princeps, gratias habemus quod è ſervitio inſtanti nos exemiſti, ſed quod omnia proviſa, parata & conſtituta ſunt ſummâ Tuâ curâ & diligentiâ, ne ulla poſtea tanta vis reperiatur, quæ tantam omnium bonorum conjunctionem perfringere & labefactare poſſit, ne unquam Libertas noſtra iterum in dubio ſit. O nomen dulce Libertatis! O Jus eximium noſtræ civitatis! O fœdior non exilio ſolum, ſed etiam morte, Servitus! Si reviviſcerent Patres noſtri, qui tanto pretio comparatam nobis

nobis tranſmiſerunt libertatem, quantâ indignatione afficerentur, ſi vidiſſent poſteros, tali beneficio indignos, hanc Inſulam florentiſſimam, finitimorum invidiam, jugo alieno ſubjicientes, ſuperſtitioni tradentes, & dominationi Pontificali ſeſe ſubmittentes! En quò Diſcordia cives perduxit miſeros!

DOMINIS mutatis, quantum mutantur hominum vultus! Exultat, Mediusfidius, redeunte libertate, ipſa Patria indignata imbellem Advenam pacem ſuam violare! Quantum diſtat inter Libertatem & Servitutem, tantum inter liberorum ſervorumque Principes. Si CAROLUS ſuum nomen, inductus à GALLIS huic genti infeſtiſſimis, fatale ad perniciem reipublicæ fore putavit, cur nos non lætemur GULIELMUM, nomen BRITANNIÆ ſemper gratum, ad ſalutem reipublicæ fatale etiam extitiſſe? Invida & perfida illa gens rebus noſtris opimis macreſcens, ſcelerati ſui conſilii pœnas meritas luet, & in paratas nobis inſidias fruſtrata incidet. BRITANNIA enim antea partibus iniquis divulſa, nunc Unanimis majorem ſolito inter Gentes reſumet Auctoritatem, & lancem Libertatis æquâ manu tenens, Tyrannis erit terrori & Oppreſſis refugio. Sentient GALLI eſſe adhuc in terris Gentem, quæ ſuâ impenſâ, ſuo labore ac periculo

bella

bella gerat pro libertate aliorum, maria trajiciat, ne quid toto orbe terrarum injuſtum imperium ſit, & ubique Jus, Fas, Lex potentiſſima ſint.

QUOD ad patriam noſtram pertinet, non eſt quod aliquid dicamus: Tu ipſe adfuiſti. Perduellionis nota olim huic regioni inuſta eſt; Tuis verò oculis, Illuſtriſſime Princeps, vides quantum, libertate melius intellectâ, mentes noſtræ firmentur, quam alienæ ſint ab iſtorum conſiliis, quam multi ſint amici, & quam pauci Patris tui patriæque hoſtes. Fateor equidem, ſed fateri pudet, quoſdam Patricios ſeſe cum latronibus iſtis aſſociaſſe, generis & patriæ immemores: alii quidam fuere cives, piget dicere, depravati, ære alieno obruti, profanum & ſine nomine vulgus, qui gentem GALLORUM in veſtigiis patriæ ſuæ atque in cinere deflagrati imperii collocare voluerunt. Pro MONTICOLIS, præcipuis nefarii hujus conſilii fautoribus, non magis ſitu quam morum diſſimilitudine a nobis diſtantibus, hoc ſaltem dicendum eſt. Illi civitate noſtrâ nondum donati, Patronis ſemper, legibus nunquam obnoxii fuere; & quis aliud expectare poſſet niſi bellum ſervile a ſervis, rerum novarum ſtudium ab oppreſſis, furta a furibus, rapinas a rapto viventibus? Ne quis verò putet omnes qui ALPES noſtras incolunt, ejuſdem farinæ eſſe homines:

homines: ARGATHELIÆ familiam apud nos facile Principem, quæ longâ Majorum liberorum ſerie illuſtris, memoriâ noſtrâ tam nobile Par Fratrum edidit, prius extinctam eſſe oportet, quam à montibus Libertas exulet. Hic ſilentio præterire nefas eſſet ſupremæ apud nos Curiæ PRÆSIDEM digniſſimum, qui & Regi & Patriæ utiliſſimus, multos à ruina, auctoritate ſuâ & conſilio ſervavit: cujus prope Villam victoria hæc reportata eſt, ut, quoties Liberationis noſtræ memoria celebrabitur, toties Domini ejus facta & laudes commemorentur. Satis etiam laudari nunquam poſſunt Verbi Divini apud nos Interpretes, qui fortiter libertati ſuæ adhærentes, Religionem veram, ſimplicem & CHRISTIANAM cum farragine ſacerdotum argutiis decoloratâ, commutare noluerunt, qui à Servitute abhorrentes, Monſtrum illud ſuperſtitionis horrendum, Religionis & Rationis opprobrium indignati ſunt. Cæteri omnes unum atque idem ſentientes, qui & numero & dignitate longè antecellunt, Te Libertatis ſuæ Vindicem, Te præſentem BRITANNIÆ Tutelam grati agnoſcunt, & nomen Tuum verentur & ſemper verebuntur. Etſi Spolia Opima non reportaſti, quæ potuiſſes, ni aufugiſſet, more paterno, Adverſarius ſceleris ſui conſcius; laudem verò omnibus ſpoliis & triumphis

umphis majorem Patriæ ſervandæ & prædæ à nobis injuſtè direptæ recipiendæ Tibi merito Omnes tribuunt. Adveniente Principe noſtro, ſine ulla ope peregrina, cui Genus à Proavis ingens, clarumque Paternæ nomen virtutis, Qui ipſe acerrimus armis, evanuit, conſpectum non tulit Fictus & Fugax qui patrias artes necquicquam lubricus tentavit.

Hæc tua magna fides! hæc tua glorioſa promiſſa! O Carole, vane & temerarie Adoleſcens, fundi noſtri Calamitas, quantum mali tecum hiſce regionibus attuliſti? Ut gratum faceres hoſtibus noſtris, quietæ civitatis ſtatum, quid iniquius, ſollicitaſti. Tuo adventu leges & Muſæ ſiluere, nulli fuere magiſtratus, nullum commercium, nulla religio! Agricultura etiam omiſſa, ligo, vomer, ſarcula in truces abiere gladios! Omnia denique perturbari, miſceri! Dominari Tu volebas, Nos liberi eſſe; facere Tu injurias, Nos prohibere. Cum ſeptem viris, non certe ſeptem Sapientibus, vix credibile, ad regnum alienum invadendum, majore ſtudio quam conſilio huc adveniſti! Ad Jus tuum imaginarium, ſi Superis placet, aſſerendum, quot familias orbaſti, quot infantes miſeros reddidiſti, quam impiè patrem in filium, & filium in patrem armaſti?

Quot

Quot millia in æternum noſtrum opprobrium incredibilis tua temeritas perdidit? Equitis HISPANI inſaniam ſuperans, an cum feris tuis MONTANIS viam ad regnum affectaſti? An cum Decretis tuis arrogantiſſimis & terrore Barbaro animos verè humanos & libertate gaudentes tibi conciliare ſtuduiſti? I, Lictor, colliga manus ejus, qui ſanguine civium dextram ſuam contaminare recuſat, Edictum erat gratioſum Principis, qui divinitùs etiam (abſit impietas) nos & poſteros ad æternam ſervitutem damnandi Jus inviolabile ſibi vindicat. Semeſtris tuæ Dictaturæ, dum Fortuna tecum jocari voluit, ſatietas nos tenet. Abi, Juvenis infelix, cum pecunia emendicata & Amicorum infelicium reliquiis, nec ad bella, nec ad regnum Nate: cum Orborum lamentis Viduarumque execrationibus, fuge quò ad nos Nomen tuum iterum pervenire non poſſit, hominum quos in ludibrium tuum immolaſti, manibus inquietis nunquam non exagitande. Quia fidem Regi non violavimus, nomina noſtra defer ad GALLIÆ Tyrannum & Antiſtitem LUGDUNENSEM, hujus latrocinii Auctores, & ſi ineſcati fuiſſemus, Participes prædæ futuros; & ORA PRO NOBIS quod nec Tibi nec Iſtis ſervire adhuc parati ſumus.

Tu,

Tu, interea, GULIELME, inter Populi à Te ſervati plauſus & acclamationes Triumphans redi; MACTE VIRTUTE AC PIETATE IN PATREM, PATRIAMQUE ESTO. Perge, &, Deo juvante, nomen BRITANNICUM invictum præſta.

1 JA 64